



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Kilianvs Cvm Soc. MM. 8. Iulij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

S. KILIANVS CVM SOC. MM. 8. Julij.

VTi Hiberniæ Italia Columbanum, Gallum Suevia, ita Francia Orientalis KILIANVM debet. A Musis mansuetioribus ad omnem humanitatem efformatus Monachum induit, & Sacerdotio initiatus cœnobii præfecturam accepit. Sed ingenius qui in pectore bulliebat sanguis majores ausus est honores sperare, & generosâ morte Martyrû nobilitatem velle mercari. Igitur in Britanniam, mox inde in Galliam, per hanc in Germaniam se penetravit, & Herbipolim Franciæ Orientalis metropolim pervenit, Colomanno & Tornano viz propositique pulchri comitibus. Vix crucis signa explicata, cum debellata superstitio, & ipse Dux Francorum Gosbertus sub jugû Christi est missus. Sed restabat cum muliere bellû, semper viris etiam periculosum. Geila hæc fuit fratris olim Gosberti conjunx, tunc pellex hujus, & quia hanc consilio KILIANI Dux ædibus parabat ejicere, ipsa prius KILIANVM sociosque (absente Duce) vitâ ejecit & corporibus Divorum stabulum superædificavit. Monitus KILIANVS ab Angelo de morte, obviam hostibus processit, istemq; verbis, quibus Christus Iudam, salutavit. Martyrum porro sanguinem linteis excepit matrona Burgunda. Locum stabulantes equi nullis sordibus contaminarunt. Sicarii malè omnes perierunt, fuitq; qui sceleris sui furis agitatus clamaret, nunquam non sibi imminere gladium KILIANI sanguine calentem. Ipsa Gallia pœnas datura carnificem demonem habuit. *Ex Sur.*

Beatus, qui ab omni abhorret turpitudine peccatorum, seque hostiam viventem & Domino acceptam offert. Beatus, qui semper in seipso Dei memoriam colit;

colit; erit enim totus velut Angelus celestis in terra cum reverentiâ & amore sacrificans Domino. S. Ephrem in Beatitudinibus.

S. LANDRADA V. 8. Iulij.

SCITÈ LANDRADA Virgo genus suum, quod è Principum Gallorum stemmate ducebat, novit estimare, dum despectis, qui multi illam deperibant, terræ filiis omnibus, uni Agno intactam servavit sese. Doluit id multum parentibus, ut qui generos, qui nepotes sperabant. Sed maluit illa familiam emori, quam virginitatem; & satis se oblectabat numerosâ, quam domi alebat, pauperum sobole. His illa ultima servitia exhibere, interim pretiosum pudorem sub vilibus ancillarum pannis tegere, denique, quò tutior hîc foret, in ultimas solitudines asportare; si tamen solitudines rectè dicimus, quas ab adventu ipsius Cælites deinceps cantu suo frequentarunt, lumine exhilararunt. Et fuit, cum hi ipsi, festiva inter tripudia, Maemosynon illi à sponso crucem artificiosam cælo detulerunt. Huic illa mox aram; aræ templum; templo se suaque dicare ad ultimum vitæ diem usque. Ab hoc spectabilis Lamperto Episcopo tumulum eo in loco se velle significavit, in quem delapsa primùm Crux foret: quod ne fieret, cum homines intercessissent, bonam operam boni Angeli locarunt, suisque manibus castissima membra eò deportata composuerunt. Tam nobiles Virtus Vespillones habet. *Ex Surio.*

Memor esto arrepti propositi, & imaginem tibi propone Crucifixi. Bene verecundari potes, inspectâ vitâ IESU Christi, quia nec dum magis te illi conformare studuisti, licet diu in viâ DEI fuisti. Thoma Kemp. l. i. c. ult.